

Non male Xystus Philosophus dixit: Adulter amat in suam uxorem, omnis impudicus amator ardentior. FAB., *exh.* 72 *nupt.*

Apud Sacas si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: et si illa superior sit, captivum abducit, atque imperium in illum obtinet; sin inferior, regitur ab ipso. Certant autem non de vita, sed de victoria. AELIAN., l. XII, c. XXXVIII.

INSOLUBILITAS. — Olim apud Romanos, cum sponsa domum duceretur, non licebat illi transcendere limen domus, sed sublata e pronubis portabatur, ut intelligeret, se a sponsi thoro, nisi mortuam separatam non iri. PLUT., in *qq. Rom. q. XIX.*

Apud eosdem sponsæ ignis et aqua præferebatur, ut meminisset, se adherere marito debere, etsi solum igne et aqua frui liceret. *ib. q. I.*

INCOMMODA. — Theodectes dicere solebat, senectutem et nuptias similes esse, eo quod utramque consequi desideremus: postquam vero consecuti sumus, tristemur. FAB., *cup. nupt. XIX.*

Phocœus Argivorum Rex eo die, quo decessit, Leontio fratri dixit: Nihil mihi defuisset ad felicitatem, etiamsi uxor defuisset. *ib. cub. XII.*

Romanus quidam nobilis reprehensus ab amicis, quod uxorem formosam, castam, et divitem repudiasset, pedem extendit, dixitque: Hic calceus videtur quidem vobis novus et elegans, sed nemo scit, ubi me premat, præter me. S. HIER., *contr. Jovin. c. XIX.*

Cum quidam Diogeni diceret cum gaudio se novam uxorem duxisse, dixit ille: Parvum solatium, et magnam sollicitudinem lucratus es. LANG., in *Pol.*

Recte dixit Petrarcha: Anceps uxoris electio: deformis facile fastiditur; formosa difficile custoditur, ea lege, qua inter formam corporis et animi castitatem lis perpetua est. PET., *Dial. 45.*

S. Hieronymus Virgines ob puritatis candorem, liliis, conjugatus ob tribulationem carnis, spinis simillimos esse dixit. S. HIER., *de Laud. Vir.*

Socrates ab adolescente quodam interrogatus, an uxorem ducendam suaderet, an vero cœlibem vitam ducendam? respondit, utrum eorum fecisset, acturum penitentiam. Hinc te solitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet, illine perpetua sollicitudo contextus puerula-

rum, dotis exprobratio, affinium supercilium grave, garrula socrus lingua, successor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. VAL. MAX., in *mem. diet.*

Hippocrates dicebat, duos dies cum uxore jucundos esse, illum scilicet, quo ducitur, et alterum, quo mortua effertur. STROB. s. LXII.

Jam olim dicebatur, eum, qui navem sibi comparat, et qui uxorem ducit, grande sibi negotium comparare, quia cum mulier nunquam sibi satis ornata videatur, perpetuum facessit marito negotium. TYMPITIUS, in *mensa Theol. de conjug.*, c. XIII, n. 29.

AXIOMATA.

Nec fœmina, nec panis ad candelam emendatus est.

Qui capit uxorem, item capit atque dolorem.

Qui capit uxorem, capit absque quiete laborem.

Quod Deus conjunxit, homo non separet. MATTH. XIX.

AUCTORES.

Mathias Faber in *Exhortat. nuptialibus*. Item, *Dom. 2 post Epiph.*, conc. I, II, III, IV, VIII.

Jacobus Marchantius in *Candelabro Mystico*, tract. VIII.

Ludovicus Granatensis in *Loc. comm.*, f. 726.

Joannes Busæus, de *Status hominum* lit. M. de *statu Matrim.*

Petrus Canisius, part. II de *Matrim. Sacramento*.

Henricus Engelg., in *Luce Evang.*, p. II, embl. VII.

Laurentius Beirlink, in *Theatro vit.*, hum. V. eodem.

Josephus Langius in *Polyanth.* V. eod. et V. *Conjugium*.

Antonius Dauroutius in *Cath. histor.*, c. V, tit. de *Matrimonio*.

circumstantias paucis hisce insinuat verbis: Ad mendacium requiruntur voluntas dicendi falsum, locutio ipsa, et significatio mentis judicio contraria; ex quibus consequitur alterius deceptio.

Diviso. — Dividitur a S. Augustino et aliis in *Jocosum*, quod sit sola mentiendi libidine, vel cupiditate placendi aliis. *Officiosum*, quod nulli obest, sed tamen alicui prodest ad vitam vel aliud bonum servandum, vel malum arcendum. *Perniciosum*, quod nulli prodest, et alicui obest, vel contra fidem aut honos mores esse deprehenditur.

S. AUG., in *lib. de Mend.* S. Dorotheus alia tria genera his verbis assignat: Tria sunt mendacii genera. Primum est, cum quis animo. Secundum, cum verbo mentitur.

Tertium, cum in vitam suam quis mendax est. Qui mentitur animo, is est, qui facile quasumque suspiciones admittit, utpote, cum viderit fratres colloquentes, ne de se loquantur. Sermone autem quis mendax est cum v. g. aliquis torpescens ad nocturnas vigillas surgere, febrem, inquit, passus sum, et vertiginem, caput dolebam, stomachi tormina patiebar. Et decies mentitur ne unicam penitentiam agat, et humilietur. Mentitur autem in vitam suam, cum turpis et luxuriosus continentiam simulat, avarus et tenax de elemosyna loquitur. S. DOROTH., *doctr. IX.*

Consonat cum S. Augustino S. Thomas, quando scribit: Tria sunt genera mendaciorum: quædam sunt pro salute et commodo alienjus; et hæc vocantur mendacia officiosa; est etiam aliud genus mendacii, quod sit joco et hoc jocosum mendacium dicitur. Tertium mendacii genus est, quod sit ex malignitate et hoc perniciosum mendacium appellatur, hocque ultimum magis et minus grave est juxta proportionem damni, quod operatur.

Aggravat culpam mendacii, inquit S. Thomas, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum: diminuitur autem culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, et sic est mendacium jocosum; vel utile, et sic est mendacium officiosum, quod intendit juvamentum alterius, et remotio nocimenti. S. TH. I. LX, ar. 2. S. Bonaventura tres assignat mendacii modos. Primo quidem dicendo falsum ex certa scientia. Secundo veritatem quidem astruendo, ast interius in conscientia sua contrarium existimando. Tertio loco (verba sunt

MENDACIUM.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est voluntaria locutio contra mentem, seu, ut Sanctus Augustinus loquitur, est falsa vocis significatio cum intentione fallendi. Unde aliqui discrimen faciunt, inter mentiri, et mendacium dicere; et *mentiri* quidem volunt idem esse, ac contra mentem dicere: *mendacium dicere* vero esse falsum dicere, sed quod verum esse credat. Hinc juxta Nigidium vir bonus præstare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat. S. AUG., l. de *Mend.*

S. Thomas etymologiam mendacii in hæc tradit verba: « Mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur; » cui non absimilis est descriptio illa, quam Albertus Magnus, Doctoris Angelici præceptor, his diu ante insinuaverat verbis: « Mentitur, hoc est, vadit contra mentem; » quæ ideo mentem dicitur a mentiendo, quia res commenturari debet, et hoc non sit, et ideo mentitur, et fallit. S. vero Anselmus D. Augustini innixus auctoritati, mendacium ita definit: Augustinus dicit « esse mendacium, quando aliquid dicitur aliter quam animo sentitur; » unde homo mendax dicitur habere duplex cor. Duplex autem cor dicitur mentiens esse, id est, duplex cogitatio, una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat, et non profert; altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans; ex quo sit, ut possit dicere falsum, non mentiens, si putat ita esse, ut dicit, quamvis non ita sit; et ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, et pro vero enunciat; ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate mentiens aut non mentiens judicandus est. S. TH., l. LX. Idem Doctor tres condiciones requirit, quæ mendacii malitiam constituunt: Quod falsum sit id, quod enunciat; et quod adsit voluntas falsum enuncianti, et iterum intentio fallendi; tunc est falsitas materialiter, quando falsum dicitur: et formaliter, propter voluntatem, falsum dicendi, et effective, propter voluntatem, falsitatem imprimendi. Quin et modernus quidam scriptor mendacii

eiusdem Seraphici) potest homo dicere falsum, non mentiendo, nec peccando, ut quando fallitur, adhibita tamen debita diligentia. Alibi vero reflectens sed ad varios modos, quibus mendacia committi possunt, sic loquitur: Est mendacium falsæ meditationis, juxta illa Psalmistæ verba: «Nec lingua mea meditabitur mendacium.» Id quod Sancti Gregorii confirmat auctoritate, dicentis: Nonnumquam pejus est mendacium meditari, quam loqui, quia istud aliquando est præcipitationis, illud studiosæ gravitatis. Idem est mendacium (prosequitur Seraphicus) perverse locutionis, juxta illum Jeremiæ textum: «Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii.» Idem est mendacium prævaricatæ actionis, quando scilicet actio non est talis, qualis ostenditur, dicente Jeremia: «Mendacium operatus est stylus mendax.» Subjungitque Seraphicus Doctor: Majus est mendacium operis, quam locutionis. At Anselmus: Idem est mendacium vitæ, vel conversationis, quando vita se fingit esse talem, qualis non est: De qua mendacii specie quoddam Sanctus Ambrosius assertum in hæc citat verba: Mendacium est hypocrisis; plus enim gestus hominum alloquantur animum, quam verba.

ACTUS. — Primus est, *mendacium excogitare*, et primo ex ore suo depromere; quos S. Job fabricatores mendacii appellat. *JOB. XIII, 4.*

Secundus est, *mendacio ab aliis conficto aliquid adijcere*, quo facilius credatur; uti fecerunt illi, qui Davidi nuntiabant, omnes filios ejus esse occisos, cum solus Amnon fuerit occisus. *II REG. XIII, 30.*

Tertius est, *mendacia spargendo alios decipere, et turbare*: uti fecerunt exploratores terræ promissæ, quando terram illam inexpugnabilem mentiti, populum ab ulteriori progressu absterruerunt. *NUM. XIII.*

Quartus est, *libenter et facile nimis mendacia suscipere atisque narrare*: contra quos monet Dominus: Non suscipies vocem mendacii: seu, ut Valabius vertit, ne assumas rumorem vanum aut falsum. *EXOD. XXIII, 1.*

Quintus est, *alios mendacii temere arguere*: qui, teste Fabro, non minus peccant, quam mendaces, quia errorem graviori errore corrigere conantur. *FAB. CONC. VI, in Dom. 8 post Pent.*

Drexelius alios tres actus, velut tres filias assignat mendacio, scilicet linguam fraudu-

lentam, fallacem, fucatam, quas inter se ex eo distinctas dicit, quod fucata sui tantum purgationem, et comptum attendat; fallax hoc unum agat, ut alios fallat; fraudulentata non tam videri velit formosa, quam arguta, et peracuta. *DREX. in Phaeth. c. XXI.*

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui nititur mendacis, pascit ventos. *PROV. X.*

Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat linguis mendacibus. *PROV. XXIX, 12.*

Opprobrium nequam in hominem mendacium, et in ore disciplinatum assidue erit. *ECCLES. XX, 26.*

Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum inundaverunt. *OSEÆ IV, 1 et 2.*

Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: et cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. *JO. IV, 44.*

Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. *IS. XXVIII, 15.*

Filii hominem usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? *PS. IV, 3.*

Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant. *PS. LXI.*

Veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent. *JER., c. IX.*

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax. *PS. XV.*

Cum loquitur (Dæmon) mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. *JOAN., VI, 44.*

A Propheta usque ad Sacerdotes cuncti faciunt mendacium. *JER., c. VIII.*

DAMNUM. — Væ duplici corde et labiis scelestis, et manibus male facientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis. *ECCLES., c. XIV.*

Non est in ore eorum veritas. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. *PS. V.*

Incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatriis, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in

stagno, ardente igne, et sulphure: quod est mors secunda. *APOC. XXI, 8.*

Non intrabit in illam (coelestem Jerusalem) aliquid coinquatum, abominationem faciens, et mendacium. *IB., v. ult.*

Diminuta sunt veritates a filiis hominum: vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum; labia dolosa in corde, et corde locuti sunt: disperdat Dominus universa labia dolosa. *PS. XII.*

Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *PS. V, 9.*

Sex sunt, quæ odit Dominus, manus offundentes linguam mendacem, manus offundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem. *PROV. VI, 17.*

Os quod mentitur, occidit animam. *SAP. I, 11.*

Abominatio est Domino labia mendacia. *PROV. XII, 12.*

Potior fur, quam assiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hæreditabant. Mores hominum mendacium sine honore, et confusio illorum cum ipsis sine intermissione. *ECCLES. XX, 27.*

Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt. *JER. V, 3.*

Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo. *PROV. XX, 17.*

FUGA. — Vanitatem et verba mendacia longe fac a me. *PROV. XXX, 8.*

Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona. *ECCLES. VII, 14.*

Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. *EPH. IV, 25.*

Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. *ECCLES. IV, 20.*

Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum. *COL. III, 9.*

Ii empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno: et in ore eorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt. *APOC. XIV, 4.*

Propter quod deponentes mendacium, lo-

quimini unusquisque veritatem cum proximo suo.

Tres species odit anima mea, et aggravor valde animæ illorum. Pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum. *ECCLES. XXV, 3.*

Non decet stultum verba composita: nec Principem labium mentiens. *PROV. VII.* Non loquuntur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendacium. *JOB., XXVII.*

Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis, qui amat et facit mendacium. *AP. XII, 15.*

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Interest, quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi rea mens.

Quisquis aliquid genus mendacii putaverit non esse peccatum, decipit turpiter semetipsum, cum honestum esse deceptorem aliorum arbitretur. *S. BERN. SEN., I, I, de Mend. I, III.*

Nullum est mendacium, quod non sit contrarium veritati: nam sicut lux et tenebræ, pietas et impietas, justitia et injustitia, peccatum et recte factum, sanitas et imbecillitas, vita et mors; ita inter se sunt veritas, mendaciumque contraria; unde quanto amamus istam, tanto illud odisse debemus. *S. AUG. I. Conf., c. III.*

Omnis qui mentitur, iniquitatem facit, et si cuiquam videtur utile aliquando esse mendacium, potest videri utilem aliquando esse iniquitatem: nemo enim mentiens in eo quod mentitur, servat fidem: nam hoc utique vult, ut cui mentitur, fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat; omnis autem fidei violator iniquus est. Aut igitur iniquitas utilis est aliquando, quod fieri non potest, aut mendacium semper inutile est. *Id. de Doct. Christ.*

Nemo potest convincere, aliquando esse mentiendum, nisi qui poterit ostendere, æternum aliquid bonum obtineri posse mendacio; sed cum tanto quisque ab æternitate discedat, quantum a veritate discrepat, isque qui mentitur, a veritate discordat, absurdissimum est dicere, discedendo inde posse ad boni aliquid aliquid pervenire; aut si est aliquid bonum æternum, quod

non complectatur veritas, non erit verum, et ideo nec bonum erit, quia falsum erit. *Id. de Med.*, c. vii.

Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere; sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris protio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despicendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti et timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur. *S. GREG.*, *l. Mor.* c. xvi.

Rerum omnium potentissimum est veritas, et extrema malitia: linea mendacium. *S. BASIL.* *l. de Spir. S.*

Nemo mihi cordatorum virorum existimet, mendacium esse leve peccatum; nam contra nullum vitium tam atrocem et tremendam sententiam sanctissimus Spiritus pronunciat; « perdet omnes, qui loquuntur mendacium » ut David Deum allocutus attestatur, quod fiet iis, qui perjurios mendacium confirmant? Notavi, nonnullis de mendacio etiam sibi placere, et applaudere, qui dum per scurrilitatem et vaniloquentiam risum captarunt, sensum pie lugentium dum illos audirent, miserabiliter extinxerunt. *S. CLEM.* *grad.* c. xxii.

Non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo. Quidquid hodie vulgus loquitur, fraus et adulatio est. Docuerunt enim linguas suas loqui mendacium; in hac schola exercitati sunt, in hac docti, ut dicerent fallere, adulare, mentiri, exaltare parva, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culcibus elephantes; hæc civilitas, hæc affabilitas est; et inurbans est, quisquis fallere et mentiri non novit. *S. THOM.* *VILL.* *conc.* 3 *de Adv.*

Ille mentitur, qui illud habet in animo, et aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat; unde etiam duplex cor esse dicitur mentientis, id est, duplex cogitatio. Una rei ejus, quam veram esse scit, vel putat, et non profert: altera rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans. *S. AUG.* *in l. de Mendac.*

Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiando; possumus enim et furando alicui prodesse, si pauper, cui datur, palam sentit commodum; nec

ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. *Id. in Enchir.* *ad Laur.*

Si humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficieris, quod evitaras. *S. AUG.* *l. c.*

Omne mendacium iniquitas est; quia profecto ab æquitate discordat, quidquid a veritate discordat. *S. GREG.*, *l. XVIII.* *Mor.*, c. iv.

Qui veritatem occultat, et qui mendacium profert, uterque reus est, ille, quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. *ANS.* *sup. Epist. ad Corint.*

Nonnunquam pejus est mendacium meditari, quam loqui; nam loqui præcipationis est, meditari vero studiosa pravitatis. *GREG.* *VIII Mor.*

Quicquid figurate dicitur, aut sit, non est mendacium. *AUG.* *Ep. ad Gal.*

Mendacium dubie proferens, non mentitur, sed qui veritatem, quam nescit, affirmat. *BERN.* *sup. Can.* ser. 18.

Mendacium sermonibus, sicut ædificium lapidibus fabricatur. *GREG.* *l. XII Mor.*

Multum interest quo animo, et de quibus rebus quisque mentiatur. *AUG.* *in Ench.*

FUGA. — Cavele, fratres, mendacium; quia omnes qui amant mendacium, filii sunt diaboli; non solum autem in falsis verbis, sed et in simulatis operibus est mendacium; mendacium namque dicit, se Christianum dicere, et opera Christi non facere. *S. AUG.* *in s. de Abraham.*

Elucet itaque, discussis omnibus, nihil aliud testimonia illa Scripturarum monere, nisi nunquam omnino esse mentiendum. Non enim cujusquam commoditas aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est. Quisquis autem aliquid genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, seipsum turpiter decipiet, cum honestum se deceptorum arbitratur aliorum. *S. AUG.* *l. XIV de Mendac.* c. xi.

Omne mendacii genus summopere fuge, et nec casu, nec studio loquaris falsum; cave mendacium in omnibus. *S. ISID.* *ap. Drex.* c. xxxv *Ph.*

In eo, quod non sumus mendaces, non homines sumus, sed Dii. *S. BERN.* *ap. Mansi* tr. xlvii, d. 8, n. 3.

Quisquis aliud lingua promptum, aliud corde clausum habet per malitiam, hujus tota pietas et servitium divinum est inane, nec te huic tali unquam sociaveris, ne impuro illius veneno inficiaris. *S. CLEM.* *gr.* 12.

DAMNUM. — Constat, quod tota communicatio hominum instrumentaliter consistit in actu significationis; nullus enim potest alter communicare aliquid sui cordis, nisi per aliquod intermedium signum, in quibus signis vox obtinet principatum; ergo corruptio significationis, quæ ex mendaci lingua procedit, est corruptio totius communicationis humanæ. Unde videmus ex hoc sequi quod ex multitudine mendaciorum, et hominum, qui sunt mendaces, nullus quasi alteri credit; sine mutua autem credulitate nulla est fidei societas, nulla in aliquo fides, nulla spes et confidentia firma, nulla amicitia vera, nulla pietas, nullum fœdus vel pactum nulla concordia, nulla pax, nulla denique in aliquo modo firmitas esse potest. Ergo mendacium causa est innumerabilium scelerum et malorum. *S. BERN.* *Ser.* t. I, ser. xxxi, a. 2, c. 7.

Timor ergo et tremor veniant super omnes, inquit Simon de Cassia, magis vero cautela, cum peccatum patratum ejus jugo servitutis colla subjiciat, et sæva perfidia patrem habeat diabolum, mendacem mendacii patrem, qui suos filios sic erudit, ut similes habeat in culpa, ut tandem consortes habere possit in poena. *SIMON CASSIA*, h. XI, c. xxxix.

Mendacium perniciosum, et nequam! tu mutuum inter homines credulitatem extinguis, tu quoque innumerabilium scelerum, tu radix omnium « garrulitatum » (id est, legis transgressionum) tu mater omnium fraudum, tu nutrix omnium duplicitatum, tu fomentum omnium detractionum, tu causa omnium perfidionum, omnium falsorum testimoniorum, omnium perjuriorum, tu fodera frangis, hypocrisin nutris, in falsas accusationes prorumpis. O maledictum mendacium! per te nulla est fida societas, nulla in aliquo fides, nulla spes, vel confidentia firma. O mendacii pestiferum virus! o pessima lepra! Tu discordias seminas, scandala ponis, simplices conscientias turbas; tu rancores, tu jurgia, tu livores et iras, contumelias, scissuras, divisiones, partialitates, et sectas suscitare non cessas. Quid plura? Tu illius progenies, qui mendax est, et pater ejus: per te primos parentes nostros, et cum eis totum humanum genus ad temporales et æternas miseras Lucifer ille mendax prostravit. *S. BERN.* *Senens. de Mend.* t. III.

Timeo, ne sicut antiquus serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur ab eodem serpente sensus vestri, id est, vestrae mentes; non enim carnis, sed cordis virginitatem serpens ille, id est, diabolus, corrumpere quærit: et sicut adulter homo letatur nequitia sua, cum carne committit: revera enim corrumpitur mens et fides eorum, qui præponunt mendacium veritati. Qui ergo mendacium ædificant in hominibus, quid ab eis expellunt, nisi veritatem? Immittunt diabolum, excludunt Christum: immittunt adulterum, excludunt sponsum; quando enim mentem falsitas possidet, tunc serpens eam possidet.

Quis observat vanitatem? qui timendo mori, moritur; timendo enim mori, mentitur; et moritur, antequam moriatur, qui ideo mentiebatur, ut viveret. Mentiri vis, ne moriaris; et mentiris, et morieris; et cum vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris, indeis in duas, ut prius in anima postea in corpore moriaris. *S. AUG.* *in Ps.* xxx.

Qui delectatur mendaciis, hic in verbis suis omnem perdet auctoritatem; odibilis enim Deo pariter et hominibus redditur; versutus, ac versipellis est homo mendax, nullum est hoc majus animi vulnus, nullumque eo dedecus gravius; homo enim mendax ab omnibus rejicitur, et ab omnibus irridetur. *S. EMM.* t. I, *de Virt.* et *Vit.*

Potior est fur, sed est minus malus: fur enim potest restituere quod abstulit, scilicet pecuniam; mendax autem non potest restituere quod retulit, pacem cordis sui in famam proximi. *HUG. CAR.* *ap. Mansi* d. 6, n. 7.

Omnis fictus, mendax; laborant homines loqui mendacium, nam veritatem tota facilitate loquerentur: ille enim laborat, qui fingit, quod dicit; nam qui verum vult dicere, non laborat; ipsa enim veritas sine labore loquitur, mendacium ipsorum, labor est laborum ipsorum. Ecce parturit injustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem: in omni enim opere malo labor est, et omne opus malum cogitatum, mendacium duces habet, non enim est veritas, nisi in opere bono. *S. AUG.* *in Ps.* cxxxix.

Tolle mendacium, et regnabit in mundo veritas pura, fides clara, firma spes, charitas mutua, simplicitas sancta, societas bona, amicitia vera, concordia certa, et pax atque tranquillitas inconcussa, et inter homines vita immaculata; ex quibus aperte patet,

quod mendacium facit de mundo Dei, mundum diaboli.

Communiter viri mendaces solent esse desolati, et vilipenduntur, a mundo contemnantur, pauperes efficiuntur; a Deo dico contemnantur, quia sicut dicitur Prov. xii: « abominabiles sunt Deo labia mendacia. » A mundo etiam abominantur. Prov. xiv: « Verbum mendax justus detestabitur: » pauperes etiam efficiuntur; unde potest dici de mendace illud Osee: xii: « Tota die mendacium et vastitatem multiplicat. » S. Bern. SEN. t. I, s. xxxi, a. 2, c. 7.

Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit, et imaginem: hic enim mendax est ab initio. Aliquando ergo auditurus est princeps mendax, qui denarius falsus est, verba illa: Cujus est imago hæc, et superscriptio? et cum responsum fuerit: diaboli, dicitur statim: reddite ergo, quæ sunt diaboli, diabolo. BEACH. ap. Mansi, d. 9, n. 3.

Quisquis veritatem Dei occultat, iram Dei super se provocat; quia magis hominem timet, quam Deum. S. THOM. opusc. de Erud. Pr.

Rerum omnium potentissima est veritas et extrema malitiæ linea mendacium. IDEM in Ps. xxx.

Antiquus sermo est: mendaces faciunt ut nec vera dicentibus credatur. S. BASIL. in proem. l. de Sp. S.

Dixit Cain: Numquid ego custos sum fratris mei? et sibi ipse mentitus est. Dixit Ananias, omne se vendituri sibi pretium pertulisse, et mentitus est sibi, qui potuit minus offerre sine fraude. Ideoque præclare ait David: Et mentita est iniquitas sibi, sibi enim ante mentitur, qui in suum mentitur exitium: sibi delinquit, qui sibi ipsi innocentiam eripit suavitatem. Quis enim simplicitate et puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibis suavior, quam is, quem animus bene sibi conscius, et mens innocentis epulatur? S. HIER. Ep. xxxvii. IDEM in Reg. Brev. g. lxxvi.

Mendacium bonis insidiatur.

Mentiri est animam occidere.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — S. Augustinus de se ipso fatetur: Horum ego morum puer

in limine jacebam miser: falebam innumerabilibus mendaciis et Pedagogum, et Parentes, et Magistros, amore ludendi, studio spectandi nugatoria et imitandi ludicram iniquitatem. S. AUG. l. I Conf. c. xix.

Antonius Paiva interrogatus a Rege Macazarum, quid esset mendacium? potestate obtenta, quidquid vellet, libere loquendi, dixit: Ego nulla comparatione hujus vocabuli vim facilius et clarius demonstraverim, quam ista ipsa, quam vos agitis, vita; cum enim Jesum Christum Dei Filium totius veritatis Auctorem penitus ignoretis, sic fit, ut erroribus infinitis impliciti, a veritate semoti in ipso mendacio volutemini. MASSEUS, l. XII Hist. Ind., f. 341.

Frater Josephi patrem decipere volentes plura mendacia excogitarunt. Mendacium namque erat, quod vestem invenissent Josephi, siquidem ipsi ea fratrem privarunt, dicente Scriptura: « Tulerunt tunicam ejus. » Asserebant se clamidem reperisse sanguine madidam; ast ipsimet eam in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, patri imponentes, hunc filii sui sanguinem esse. Insuper vestem obtulere patri veluti dubian et incertam: vide, utrum tunica filii tui sit, an non? et nihilominus eam ipsissimam Josephi esse, non ignorabant. Subjecerunt dicentes: « Fera pessima comedit eum, » bestia devoravit eum: et nihilominus nulla eum offenderat aut dilacerarat fera alia, quam odium et invidia fraterna. MANSI, d. 7, n. 2. GEN. xxxvii.

Eva, juxta Rupertum, depravavit verba præceptoris Domini tribus mendaciis: appositione, diminutione, tatione. Apposuit dicendo: « Ne tangeremus illud: » Cum tamen Deus illis præcepisset, ne manducarent, nulla tactus facta mentione: dimiuit vero, quia cum certa et affirmativa enunciatione dixerit Deus: « In quacumque die comederis ex eo, morte morieris; » hæc dubium vel frivolum volens esse illud, ne forte, inquit, moriamur: mutatione autem quia cum dixerit Dominus: Ex omni ligno Paradisi comede, et solummodo interdixit lignum scientiæ boni et mali: de ligno autem, inquit ipsa, quod est in medio Paradisi præcepit nobis; et mentita est, nam et lignum vite erat in medio Paradisi, quod Dominus Deus non interdixit. RUPERTUS ABB. l. de Trin. c. v.

FUGA. Puer erat novennis, qui oblitus patris in re quapiam jussa exequi, cum fletuac

intellecta causa fletus, domestici ei mendacium obruderent, quo se irato patri purgaret, utique enim ipsum cæsum iri, si veritatem dicat, respondit: « Præstat cædi, quam mentiri: faciat pater quid velit; sed neque si moriendum sit, mentiar; quid enim auderem B. Virginem quidquam deinceps rogare, si veritatem violarem? » Jo. CORDI in famul. Sanct. p. 2 § 11.

Episcopus Tagastensis, Firmus nomine, firmior voluntate, cum ab eo quaereretur homo, jussu Imperatoris, per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligenter quaerentibus: Nec mentiri se posse, nec hominem prode, passusque multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in sententia: deinde ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipse homini, quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret. S. AUG. l. de Mend. c. xiii.

Isidorus Pelusiota de seipso scribit: Libens, volensque veritatem honorans, malum vinco, quam mendax vincere; vera enim narrans, etsi vinci videar, vinco; solo vero malo superans tamen si vicisse videar, victus abeo. ISTO. l. V, epist. cccci.

S. Job quoque dicebat: Donec superest halitus in me, et Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. JOB. c. xxvii.

De B. Joanne in vitis Patrum refertur quod cuidam discipulo suo sequens tradiderit monitum: Noli, fili, negare gratiam Dei ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium; evadendum est namque omnimodo mendacium, sive pro malo, sive etiam pro bono proferri videatur, quia omne mendacium non est a Deo, sed sicut Salvator dicit: « a malo est. » At vero si quis pro tuendo inastimabilis pudicitiam suæ thesauro mentiretur, futurumne foret Deo gratam ejusmodi mendacium? S. Augustinus ait: Facile responderi potest, nullam esse pudicitiam corporis, nisi ab integritate animi pendeat, qua dirupta, cadeat necesse est etiamsi invicta videatur. S. ATO. l. contra Mend. c. vii. In opusculis S. Francisci legitur, quod, cum duo religiosorum suorum ex provincia, quæ Terra Laboris appellatur, ad sanctum Patriarcham visitandum venissent, senior ex illis juniorem in rebus aliis scandalizavit: quod, cum vir Sera-

phicus in spiritu prævidisset, interrogavit hunc, qua ratione comes itineris sui se erga ipsum habuisset in itinere. Quo respondente utique satis bene, subjunxit: Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris, scio enim, scio, quid actum sit. S. FRANC. opusc. l, coll. xxx.

Camillus Lellius domesticis in angustiis, familiae procuratorem ad Præsulem amicum ire jussit, argentumque elemosynæ nomine petere: ille satis magnum, et quantum non sperasset Camillus, ab homine acceptum, ad Camillum retulit, qui admirans quasivit de eo, qui factum id esset? Tum Procurator: Humanissimus vir, ut magnas rei domesticæ angustias esse a me intellexit, hoc argentum dedit; atqui, ait Camillus, necessitas quidem aliqua est, sed non magna, ideoque ne furti rei simus, tu actutum argentum refer, ne quid vel levissimum mendacio contaminatum habeamus. O hominem verissimam dignum laude, qui vel levissimæ falsitati magnum argenti pondus posthabuit! Gemma scilicet veritas est, cui nullum argentum, nullum conferri possit aurum. JO. RHO., l. IV, c. ix.

Alexander Oliva, Ordinis Eremitarum, Cardinalis, jurabat se ab ea die, qua puer admodum S. Augustini habitum induerat, verbum nullum dixisse, quod vel leviter læsam se veritas doleret. Duo sibi hominum genera odio esse (quod Rempublicam ac prudentiam proderent) mendaces, ac secretorum prodigos, quorum primi suam, secundi fidem prodant alienam; quibus sublatis, quæ potest esse hominum in Republica societas? Ib. n. 6.

S. Carolo Borromeo ad amplissimos honores apud avunculum Pium viam veritas aperuit: objicientibus enim amicis tardiorum, hebetiorumque Caroli indolem videri quam ut in partem pontificiarum curarum accerere (sic enim adolescentis prudentem jam tum se sanctimoniam, et loquendi parcimoniam, homines parum ad virtutes attentis appellabant) respondit Pius: Enim vero plus inesse adolescenti prudentiæ, quam pompæ, atque adeo se illum reliquis sororum filiis anteferre, quod alii sæpius, ille vero in mendacio nunquam esset deprehensus. Ib. n. 8.

Joannes Vincentius Pinellus nec commere quidquam sibi volebat esse cum mendacibus. Hic enim cum domum familiarum omnem ad virtutis atque honestatis normam

xigeret, famulos, quos vel semel mentitos deprehenderat, illico domo sua exigebat, suasque agere jubebat res. Neque solum a rotundis mendacis alienos volebat esse, sed officii, fallacisque abstinere, sibi que præcipue inter loquendum aut affirmare, aut negare, omnem verborum ambitum, ut mendacii haud dubie suspectum, missum facere. Rectissime ille quidem; quid enim? horologia, si minus veridico stellæ indicio temporis notas edant, ut corrupta damnamus; homines sponte contra animi sui sententiam loquentes probabimus? *IBID.*, n. 14.

Christus tantopere detestatus est mendacium, ut, cum ex omni genere peccatorum aliquos ad meliorem frugem reducerit, nullum tamen unquam mendacem convertisse sciatur, quia scilicet, cum ipse sit ipsa veritas, decebat ut tale erga mendacium odium ostenderet. *ENGELGR.*, in *Domin. Pass.* § 4, co. 1.

S. Job de seipso dixit: Donec superest habitus in me, et Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. *JOB XXVII*, v. 4.

Salomon quoque suam a mendacio aversionem ostendit, dum dixit: Duo rogavi te (o Deus) ne deneges mihi, antequam moriar. Vanitatem et verba mendacia longe fac a me. *PROV. XXX*, 7.

S. Joannes in ultima sua Epistola dicere ausus est: Majorem horum non habeo gratiam (vel, ut alii vertunt, majus gaudium) quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. *S. Jo., Ep. III*, 4.

S. Lucianus incitatus ad Christum fidemque Catholicam negandum cum sociis suis constanter dixit: Mentiri non est meum. *ENGELGR.*, in *Dom. Pass.*, § 2.

S. Anthimus Nicomediensis Episcopus cum satellites se ad necem quaerentes hospitio excepisset, illique tanta humanitate permoti promitterent, se dicturos Imperatori, quod ipsum reperire non poterint, noluit hoc permittere, asserens, fas non esse Christiano pro vita cujusque mentiri; itaque ultro se illis jungens Imperatori stitit. *SURUS* 27 apr.

S. Thomas Aquinas cum sociis ipsius religiosus joco dixisset, en boves volantes! et ipsum properea circumspicientem ob simplicem credulitatem irrisisset, severo eum supercilio correxit dicens: Facilius, o frater,

credendum boves volare, quam religiosum mentiri. *ENGELGR.*, § 1.

S. Anselmus de omnibus Christianis hanc opinionem imberbat, ut, cum quidam monerent, ne aliquibus manifeste imponentibus fidem haberet, responderit: Numquid non Christiani sunt? Quomodo ergo mentiri possunt? *SURUS*, 2 april.

Falco Constantin. adolescens qui in honorem S. Angeli custodis voto non mentiendi se obstrinxerat, et hoc etiam, cum homicidium a se patratum negare potuisset, observaret, quinque ab Angelo a fatali ictu defensus, et tandem omnino libertati restitutus est. *POD. CHR.*, p. I, c. III, § 5.

S. Chrysostomus ex eo tempore, quo Christianorum ritu ablatus est, nunquam juravit, nec alium jurare compulsi: nulli unquam male dixit: nunquam mentitus est.

Anachoreta Anaph, dum aliqui morientis lectulum circumstantes doctrinam aliquam pro memoria peterent, hæc pauca verba, sed memoranda dixit: Nihil magnum me fecisse arbitror, sed in eo tamen sollicitus fui, ne ullum dicerem mendacium. *REFF.*, c. x.

Beno Abbati hoc quoque elogium jure merito a suis concessum est, quod nunquam iratus, nunquam mentitus sit.

Meratores duo Colonienses mendacii ad vendendas merces suas uti foliti; postquam suasu Confessarii ab ejusmodi more abstinere se cœperunt, effecerunt ut plures ad eos emptores confluerent, quam prius soliti fuerant. *CESARIUS*, l. III *Mir.*, c. xxxvii.

DAMNUM. — Ananias et Sapphira ob mendacium coram S. Petro prolatum, repentina morte, velut fulmine tacti, corruerunt. *ACT.* v.

Eudoxia imperatrix, quia pomum ab imperatore donatum, et ab ipsa Paulino agro missum comedisse se mentiebatur, imperatori suspicionem adulterii movit, effectique, ut Paulinus quidem occidi jussus ab imperatore, ipsa vero abdicata et relegata sit. *RADERUS*, c. xvi.

Mendici duo, quia convenerant, ut alter mortuum se simularet, alter a S. Epiphano stipem pro sepultura peteret, sic Deo permittente puniti sunt, ut qui mortuum se simularet, vere mortuus sit repertus.

Mulier quædam ab adolescente adulterii secum commissi insimulata cum suam innocentiam Deo commendasset, septies licet car-

nificis gladio perussa lædi non potuit (cum tamen adolescens, qui inter tormenta sibi et illi falso crimen adulterii impeggerat, primo statim ictu caput amiserit) ideoque crepta, ac sanitati libertatique restituta est, uti fusiis apud S. Hieronymum, aliosque videre est. *S. HIER.*, ep. xlv, ad *Innocent.*

Virgo quædam in civitate Burdegalensi, ann. Domini 1396 ad mendacium suum firmandum ignem S. Antonii sibi imprecata pejeraverat, statim diro incendio omnia illius uri membra crepta sunt, facies sacro illo igne incensa fedabatur. Hæc prope ad nostrum templum abducta confessione expiata, aquæ benedictæ haustu, restincto incendio, pristina incolunitati restituta est. *EX ANNAL. SEC.*, anni 1396.

Julianus et Julius fratres ad beatum Theodosium imperatorem Christianum venerunt, petituri ut templa idolorum ubicumque invenirent, destruerent, et templa Christi edificarent. Quod imperator libenter concedens scripsit, ut omnes debeant eis obedire, et eos in omnibus sub pœna capitis adjuvare. Cumque Julianus et Julius in loco, qui dicitur Gaudianum, ecclesiam construerent, et coacti transeuntes eos in opere ob imperatoris mandatum adjuvarent, quidam cum curru euntes dixerunt ad invicem: Quam excusationem prætereundum poterimus ut liberi transeamus, et in illo opere non occupemur? Unum igitur ex suis in plaustrum supinum posuerunt, et eum pannis ut mortuum cooperuerunt, qui se mortuum fingebat, et oculis clausis supinus jacebat. Cum ergo ad Julianum et Julium pervenissent, dixerunt eis servi Dei: Filioli, parumper subsistite, et nos in hoc opere juvate. Qui se ibi stare non posse dixerunt, quia hominem mortuum deferebant. Quibus S. Julianus et Julius dixerunt: Quid ita mentimini, filioli mei? Et illi: Non mentimur, Domini, sed sic est ut loquimur. Tunc S. Julianus dixit: Secundum veritatem dicti vestri, ita vobis contingat: et illi boves pungentes pertransierunt. Cumque procul progressi essent, accedentes currum, collegam suum ex nomine vocant dicentes: Surge; et boves stimulant ut celerius progrediantur. Qui cum nullatenus moveretur, eum pulsare cœperunt; quid, inquit, deliras? Sed cum non responderet, eum disceperunt, et mortuum inveniunt. Tantus inde timor ipsos et cæteros invasit ut nullus de cætero famulis Dei mentiri auderet.

Exploratores, quos miserat Moyses ad explorandum terram promissionis, reversi terruerunt populum suis mendaciis, ideoque subita morte correpti sunt. *NUM. XIII* et xiv.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius tantopere mendacium fugiebat, ut quo longius ab eo recederet, etiam ab exaggeratione omni, aquivoconeque sollicite abstineret. *VIZ.*, l. I, c. II.

Card. Bellarminus, dum illi narrabatur, non constare Joannem Berchmannum, unquam in vita fuisse mentitum, innocenter subject: Nec ego ullius per vitam mendacii mihi conscius sum. *FANCLZ.*, *Prof. virt.*, c. I, n. 43.

Egidius Coninek ingenue fassus est, se nullius in tota vita mendacii meminisse posse. *In prof. t. de Inc.*

P. Ludovici Medicina lingua post duodecim annos viva, et incorrupta permansit, omni reliquo corpore corrupto; cujus causa putatur, quod nunquam constet, eum prudenter, ac scienter mentitum fuisse. *HIST. SOC.*, p. II, l. II.

Idem P. Vincentius Regius, et P. Gaspar Sanctius servarunt, teste P. Joanne Rho. *P. RHO*, in *Virt. ex.*, fol. 481.

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Plato dicebat, mendacio, licet re mala, utendum tamen quandoque, ut helleboro, et medicamine: atque adeo et principes urbium, et si quibus aliis hoc conceditur, oportere aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria et civibus. Quæ tamen doctrina nunc passim a Catholicis Doctoribus rejicitur. *JAC. MARC.*, in *Horto Past.* tr. iv, lect. xvi.

Gesta Romanorum narrant, maritum, quemdam volentem experiri fidem uxoris, eidem sub sigillo narravisse, sibi post diuturnos ventris dolores, nocte præterita corvum evolasse. Quod illa statim vicinæ detegens, duos corvos fuisse asserit, quæ alteri iterum narrans, tres fuisse asserit, siquæ ulterius, donec fama increvit, virum illum integrum in ventre corvorum nidum edu-

casae, et jam decem evolasse. FABER, conc. 3, in *Dom. 8 post Pent.*

Stratocles, superatis pugna navali Atheniensibus, summa celeritate lauro redimitus Athenas quasi triumphandus ingressus est, et faustum victoriae nuntium evulgavit, et ubique plausus et lætitiæ signa decrevit; cum vero biduo post ob contrarium nuntium populus graviter eidem indignaretur, respondit, nihil se mali illi attulisse, cum effecisset, ut saltem biduo læti hilaresque essent. FULG., *Jus l. IV, cap. XVIII.*

FUGA. — Cleopatra et Antonio devictis, cum Augustus senem sexaginta annorum, de quo audierat, quod nunquam mentitus esset, reperisset, eum secum in triumpho circumduxit, creari Pontificem, et in Capitolio statuum illi inter heros erigi jussit. SVETON. ap. Eng. in *Dom. Pass.* § 5.

Persæ adeo mendacium abominati sunt, ut turpissimum haberetur, et ære alieno laborare, et mentiri. DREX. in *Phæt.*, cap. XXXV, § 3.

Romani omne mendacium homine ingenio ac libero indignum putarunt, servileque vitium esse; nec cadere posse, aut debere in generosum pectus, quod ante viam projiciat, quam illam mendacio commaculet. *Ibid.*

Epaminondas tam serius veritatis cultor fuit, ut ne joco quidem unquam sit mentitus. ÆMIL. PROBUS.

Basilius Imperator filium admonens inter alia, dicebat: Maximi pendito, et veracem te esse in sermone, et veraces homines in familiaritatem admittere; ita enim firmus et constans in omnibus factis et dictis aestimaberis, et veram ac non suspectam tuorum erga te benevolentiam retinebis; si autem in vanitatis ac mendacitatis suspicionem veneris, indigna facere imperatoria majestate convinceris, efficesque, ut semper formidolosi subditi, rerumque omnium incerti et titubantes vacillent: quantum enim veritatis oratio amabilem hominem reddit, tantum mendacii deprehensa aut etiam suspecta odiosum, qui ea ulitur, facit.

Apud veteres Francos et Suevos cogebantur mendaces, impudentiæ symbolum, canem in humeros sublatum circumferre.

Indi, si quem in mendacio deprehendissent, ignominia notabant, et Magistratus

movebant, quod communem hominum societatem mentiendi fraudasset.

In insula Tenedo pote judicem semper carnifex cum securi adstabat, ut si quis falso quem accusasset, vel testatus esset, aut aliud mendacium dixisset, mox securi feriretur.

Trajanus adeo aversabatur mendaces, ut hujus criminis convictos in navem sine velo et remis detrudi, altoque mari committi jusserit. *Pæd. Chr.*, p. 1, c. v, § 7.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut Deus pater genuit Filium, ita diabolus lapsus genuit mendacium. S. AUG., *sup. Joan.*

Sicut araneæ ex seipsis telas texunt; ita quidam ex seipsis committuntur fabulas et mendacia cum nihil subsit veri. FLUTARCH.

Sicut qui putres et ruinam minitantes parietes albo tectorio linunt, non tamen eos possunt erigere; ita et mendaces facile deprehenduntur, et omnis error ita imbecillis est, quamvis extrinsecus calide fulciatur. S. CHRYS., h. LXVI, de *Livor.*

Sicut fauces ferinam gustu deprehendunt; ita sagax animus verba mendacia. *ECCL. XVI, 21.*

Sicut non est piscis sine spinis; ita nec homo sine mendaciis. EVCOSTHENES *apud Engelgr. in Dom. Pass.*

Sicut horologium aliter sonans, et aliter signans horam vitium internum prodit; ita homo mendax malum statum animæ significat. *Ibid.*

FUGA. — Sicut illi, qui nummos aureos concidunt, aut adulterant monetam, omnibus odiosi sunt, et a Republica exterminantur; ita et qui mendaciam veritatem corrumpunt, merito declinari et exturbari debent. *FAB. in Dom. 7 post Pent. conc. 7.*

Sicut diabolo nemo prius credit, quia scit eum esse mendacii patrem; ita nec mendacibus fidem adhibere oportet, cum sint mendaciorum fabricatores.

DAMNUM. — Sicut moneta prava ab uno ad alium transit, ac multos decipit; ita mendacium ad varios pervenit, grandiaque sæpe tum Reipublicæ tum privati personis damna creat. *FAB. l. VI.*

Sicut lapsus falsæ lingue quasi in pavi-

mento cadens; sic casus malorum festinanter venient. *ECCL. X, 26.*

Sicut discordiarum seminatores summe Deo exosi sunt, teste Salomone; ita non minus abominabiles sunt illi, qui per mendacia societatem humanam dissolvunt. *PROV. VI, 16.*

Sicut, qui diminuta haberet pondera, infamis et latro censeretur; ita qui in conversatione et commercio humano mendaciis utitur, non minus indignus, dolosus et infamis erit, quam latro. *MANSI, d. VI, n. 3.*

Sicut ex ferro, et lapide excutitur ignis; ita ex loquacitate et scurrilitate mendacia nascuntur. S. CLIMAC. in *Scala gr. 12.*

MOTIVA.

Quia Christo mendacium singulariter exosum est, ut qui de seipso dixit: « Ego sum via, veritas, et vita; » atque adeo, quidquid veritati contrarium est, summe detestatur. MANSI d. 1, n. 8.

Quia finis hominis contrarium est; nam, teste S. Bernardino, certum est, creaturam intellectualem ad imaginem Creatoris sui esse conditam, ut semper tendat ad primam veritatem, cujus est imago, et ut hanc semper transcribat, interiusque, et exterius in se exprimat: sed mendacium non est aliud, quam macula, infectio, et depravatio. S. BERN. SEN., f. 31 a. 2, c. v. Hinc S. Antiochus ait: « Eludunt Dominum, sicutque prædones Domini; spiritum enim acceperunt nulla contagione mendacii, nulla depravatione obliquum; hunc si reddiderint interstinctum viris mendaciorum coloribus, utique videri possent contaminasse depositum. » Et iterum: « Necessè est, ex hominis ore nullum effundi sermonem, qui non veritati omnino innitatur, ut spiritus ille veritatis, qui idem Deus est, intelligatur in hac carne sibi elegisse domicilium: atque ita demum glorificatur Dominus inhabitans hominem, dum in omni verbo verax est Dominus, nec ullum possit de ipso deprehendi mendacium. »

Quia diabolicum est inventum, uti Origenes insinuavit dicens: Diabolus mendacium genuit, seductus est a seipso, in hoc deterior, quod alii ab eo falluntur, ipse sibi deceptionis est auctor; quod utique Christus insinuare voluit, quando ait: « Cum loquitur

mendacium, ex propriis loquitur; » est enim mendacium venenum quoddam ab ipso genitum, postquam ex pulcherrimo Angelo in horrendum dæmonem, Dei et humani generis inimicum, degeneravit. Rupertus Abbas accurate notat, quisnam ille fuerit, qui mendacii auctorem, et patrem nobis manifestavit, dicit enim: Ecce hoc est mendacium, quod iste diabolus genuit, cujus patrem hunc esse pronuntiavit Dominus Jesus Christus, Veritas et Verbum Dei. RUPERTUS ABB. *l. de Viet. Ver. Simon de Cassia pariter hæc Salvatoris verba ponderat: « Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; » subdit enim: Non enim a Deo habuit, ut mentiretur, nec ab alio auctore accepit, ut mendacium loqueretur; mendax sibi, mendax omnibus, cum omnes decipere velit; et pater est mendacii, quia ipse primus fabricator est ejus, pater ejus: quia sicut homo prole carnis satagit, ut pater sit; sic diabolus agit, ut ex mendacio possit filios, filiasve generare. Licet ipse illud adeo turpe existimet, ut quemadmodum Robertus Holkot notavit, quando primo mentiri cogitavit, noluerit in effigie hominis, aut ei propinqua apparere, sed serpentis; quasi nobilitati suæ naturæ mendacium displiceret, sed bestię talis formam accepit, quæ naturæ hominis adversatur in signum, quod mendacium est venenum humanæ naturæ, juxta illud Sap. 1: « Os quod mentitur, occidit animam. » ROBERTUS HOLKOT, in *proem. in Sap.**

Quia turpissimum, ideoque et infame est vitium, uti vel ipsi etiam ethnici agnoverunt; hinc Themistocles dicere solebat: Mendacium Turpissimum est, et liberali homine indignum. Plutarchus etiam in detestationem mendacii ait: Mentiri servile est, dignumque apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem servis ignoscendum. PLUTARCH. de Puer. educ. Hinc Aristoteles interrogatus, quoniam emolumento vir mendax ex mendacio gaudeat, respondit: Quod etiam veritatem dicenti nemo credit. Quod ipsum etiam his verbis S. Hieronymus confirmavit: Antiquus sermo est: mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus creditur. S. HIERON. l. I, ep. II.

Quia laboriosum est vitium, uti S. Gregorius advertit, dicens: Qui relicta veritate, mentiri deliberat, ut audientium animum fallat. Sed quantum labor est sollicite custodire, ne ipsa ejus fallacia deprehendi queat: